

SCRIPTA

Numéro Scripta : 2056

Auteur(s) : Philippe II Auguste, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Thibaud d'Amiens, Rouen (archevêque)

Genre d'acte : notice

Authenticité : non suspect

Datation : ...1223...

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Règlement des droits du roi et de l'archevêque de Rouen sur les hommes du fief Tatin, à Pinterville.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 1130, p.
- b. Delisle Léopold, Passy Louis, *Mémoires et notes de M. Auguste Le Prévost pour servir à l'histoire du département de l'Eure*, Évreux, Hérissey, 1862-1869, 3 vol., t. 2, p. 533 (extrait).
- c. Bonnin Théodose, *Cartulaire de Louviers*, Évreux, Hérissey, 1870-1873, 6 vol., t. 1, n° CXLV, p. 184-185.

Dissertation critique

« Vers 1223 » : datation proposée par Th. Bonnin.

Texte établi d'après c

Articuli quidam de quibus archiepiscopus Rothomagensis debet regi respondere ad Dominicam sibi super hoc assignatam a rege.

Assignata est dies a domino rege archiepiscopo Rothomagensi, et ab ipso archiepiscopo recepta, ad dominicam quintane, ubi dominus rex erit, ad respondendum de articulis subscriptis.

Primo, de Guillelmo Crispini, qui dicit se tenere feodum de rege in posse Deppe, et petit ut rex faciat divisionem fieri inter feodum ipsius Guillelmi et terram archiepiscopi, et dominus rex dicit quod hoc potest facere et debet per usum et consuetudines Normannie hactenus obtentas et approbatas ; et dicit Guillelmus quod nec ipse nec cambellanus Tancarville aliquando fecerunt hominagium de feodo illo alicui archiepiscopo Rothomagensi. De hoc debet archiepiscopus respondere, utrum hanc velit a domino rege suscipere divisionem, sicut duces Normannie hujusmodi divisiones fecisse noscuntur, quia dominus rex bene se offert hanc divisionem facturum.

Item, assignata est dies archiepiscopo Rothomagensi super articulo subsequenti : Robertus Trolez, fecit quandam compromissionem in assisia super re feodali, fidei interpositione firmatam extra assisiam, adversus Stephanum Lovet. Postea Robertus traxit Stephanum in causam coram officiali Rothomagensi super interpositione fidei facta de eadem re feodali, et excommunicari fecit Stephanum pro eo quod nolebat respondere Roberto coram officiali super illa re feodali, racione fidei interposite. Postmodum officialis requisivit ballivum ut dictum Stephanum justiciaret sicut excommunicatum ; quem cum ad officialem misisset ballivus, officialis eum retinuit in prisona, et, uxore Stephani ad ballivum conquerente quod maritus suus in prisonam detinebatur pro eo quod respondere noluerat de re feodali coram officiali, iudicatum fuit in assisia quod Robertus Trolez caperetur et teneretur donec

liberasset Stephanum a curia officialis et prisiona. Robertus captus fuit et traditus Johanni de Roboreto custodiendus. Postea uxor Stephani accessit ad regem Philippum propter hoc, qui precepit illum Robertum capi et detineri donec liberasset Stephanum a prisiona et curia archiepiscopi. Ita captus fuit et adhuc detinetur a ballivo. Modo vult archiepiscopus ut ille Robertus liberatur, et quod ei restituantur dampna sua et deperdita a ballivo regis ; et dominus rex dicit quod ex quo res feodalis deducta est in iudicium, sive fides seu juramentum intervenerit, sive non in curia, iudicium exinde factum in assisia sive compositio non debet nec potest retractari in foro ecclesiastico, secundum usus et consuetudines Normannie observatas et approbatas, nec partes possunt cogi per aliquem nisi per nos ad observationem iudicii vel compositionis, licet fides vel juramentum intervenerit, et dicit dominus rex quod, si nunquam etiam res feodalis deducatur in iudicium, super fidei interpositione facta de re feodali non debet quis trahi in forum ecclesiasticum, nec ibi exinde respondere secundum usus et consuetudines Normannie.

Item, de cruce signatis ab antiquo debet respondere ad diem sibi assignatam archiepiscopus.

Item, archiepiscopus debet respondere domino regi de querela Tatini, qui tenet hospites apud Loviers de rege de feodo Pintarville, super quos archiepiscopus vult habere magnam justiciam. Dominus rex offert archiepiscopo quod faciet eum habere recognitionem patrie, utrum per cartam, quam archiepiscopus inde habeat, vel per usus et consuetudines hactenus observatas, debeat habere magnam justiciam super hospites Tatini et Tatinum. Habebit talemque consuetudinem observabit que observatur de hospitibus quos milites habent in alia terra de excambio Deppe.

Item, debet respondere archiepiscopus regi de querela Roberti de Corciaco, qui dicit se tenere duos bisancios de domino rege in feodo, quos archiepiscopus fecit detineri contra jus ejusdem Roberti.